14

SERENISSIMO PRINCIPI

MARCO-ANTONIO MEMMO,

Pro fęlici eius in Venetiarum Ducem inauguratione.

SCIPIONIS GRAMONTII

CARMEN.



VENETIIS, MDCXII.

Apud Franciſcum Rampazettum. Superiorum Permiſſu.

SERENISSIMO PRINCIPI MARCO-ANTONIO MEMMO,

Pro fęlici eius in Venetiarum Ducem inauguratione.

SCIPIONIS GRAMONTII

CARMEN.

INCIPE regales fronti pretendere cultus
Clara Ducum Soboles magnorum, & clara propago
Sanguinis, emeritæ per mille inſignia laudis.
Incipe Sublimi tandem ſplendeſcere Cornu,
Ardua quo Venetum cœlo ſe gloria tollit.
Hoſtilesq; cadunt aduerſa in vulnera turmæ.
Scilicet exhauſtis per publica munera curis
Supremus reſtabat honos quem ſtamine Parcæ
Longa volubilibus dum nent exordia penſis
Signarunt, debentq; tuis natalibus aſtra
Quæ tibi naſcenti radijs melioribus almos

 Affla-

Aſſtauere ales Domino Ioue; & auſpice Paceo.
Nunc mihi ſe totis pandant Libethrides vndis;
Pindus; & Aemonij veniant in carmina colles,
Qua Clarios ſaltus interluit Hippocrene.
Tuq; adeo ſi fas mortalia dicere verba
Hic vbi nil mortale ſonat, patere inclyte Princeps.
MEMME domus, patriaq; decus; patere inter honores,
Inter & effuſos per ouantia murmura plauſus
Has tibi Permeſſi per tempora ſerpere lauros.
Parcius antiquas memorabo carmine laudes
Maiorum, clarosq; patres proauosq; Curules
Nec cantata alijs referam pia geſta Tribuni
Cum Dux ſupremos patriæ pertaſus honores
Et peritura ſoli nullo diademata penſans
Tota immortales affectat mente coronas
Abijcit ille volens trabeatæ galbana pompæ
Ingrediturq; Sacer, quas ipſe ſacrauerat ædes
Non vigiles eius curas, non dicere robur
Mens auet, infeſti cecidit quo robur Othonis
Tu mihi magna ſatis laudum argumenta miniſtras
MEMME decus Saeli, cunctos quem ſcimus honorum
Euaſiſſe gradus. Teſtis Vicentia, quæ te
Fulgentem tyrio Prætorem vidit in oſtro,
Teſtis Tauriſio Sili circumflua, quæq;
Bis tua laurigeros amplexa eſt Brixia faſces,
Sic Verona tuas Atheſi plaudente Secures
Agnouit: nam quid memorem te maxima bello
Vrbs Antenoridum cuius dum iura capeſsis
Non tu marmoribus tantum monumenta reponis;
Aſt animis infixa tenes, quæ nulla vetuſtas
Obteret, Euganeæ dum ſtabit gloria gentis.
Extremam ſed Palma dedit per ſecula famam
Palma Salus Henetum quæ fortibus edita muris
Vindelicos prohibet curſus, & Norica frænat
Agmina, Pannonijſq; opponit ſepta maniplis

Hanc

Hanc arcem Auſoniæ tutum munimen, & omnis
Heſperiæ foſſa latè valloq; recinctam
Quamq; nouena ſuis iam propugnacla tuentur
Auxilijs, totidemq; pares ex ordine frontes
Bisq; nouem tumuli cælo faſtigià tollunt
Vnde vomunt rapidas miſſilia fulmina glandes
Tu Præſes, cuſtosq; nouis, non inſcius artis
Aggeribus cumulas, medijsq; in millibus ardens
Primus agis nitidos operoſa in ſaxa bidentes
Hinc noua donatur Marci, templiq; ſuperbi
Cura tibi, quo te pietas, moresq; vocarunt
Conſpicui: donec concordi fœdere Patres
Inſignem trabea, & cinctum diademate frontem
Principis auguſta tandem te ſede locarunt.
Nec tamen hoc virtus claudit ſe limite, namq;
Sera reſeruarunt maiores Sæcla triumphos
Et quamuis niuei ludant per tempora cani,
Viuida vis animi tamen hinc, & maſcula virtus
Nulla ſub occaſum vernantibus inuidet annis;
Tempore quippe viret, viresq; è tempore ducit
Seu tonat eloquio raræ facundia linguæ
Seu mens conſilio prudentes explicat vſus
Seu populo leges, & legibus indit honores
Deniq; ſi dubij tractanda eſt alea Martis,
Sit grauis vſq; licet, non eſt effæta ſenectus
Palmaq; victrices potis eſt contingere palmas.
Iam mihi Threicij cernuntur regna Tyranni
Intremere, & magnis quaſſari motibus vrbes
Quas lauit hinc Pontus Mæotide ditior vnda
Hinc Helleſpontus Phryxeo nobilis auro
Quin & cornigeras Byzantia culmina lunas
Deſpiciunt, ſanctasq; Cruces clamore repoſcunt.
Ipſa ſed infeſtis vlulatibus æthera complet
Alma Cypros, preſſa quæ nunc ceruice, tot annos
Ah miſera indigna patitur diſpendia ſortis.

Illa

Illa grauem mæſto vultu teſtata dolorem
Et laniata comas Oenotria flagitat arma
Tendit & inualidas tibi Dux, iam non tua, palmas.
O ſi qua eſt pietas, & auitæ laudis imago
Si qua inquit, Venetæ reſtant veſtigia famæ
Reſpice me duris oppreſſam cladibus, & me
Redde meis: quid enim iuſto viduata marito
Barbaricæ pellex tolero faſtidia tedæ
Si iuuat Eoos pelago renouare triumphos,
Huc vertendæ acies, huc & Mauortia ſigna,
Signa, vbi non aquilæ; non ſplendet romula nutrix
Sed Leo protector Victrices explicat alas
Exere roſtratas naualibus, exere claſſes
Atq; triumphales pelago molire Triremes
Quas oriens, victusq; timet Naupactus, & ipſa
Quæ modo cum Seſto Neptunum claudit Abydos
Cyclades, & Strophades, Sporadumq; exercitus omnis.
Inſula ſic clamat, clamat ſic Boſphorus alter
Totaq; Dalmatico tellus contermina ponto,
Illirios tractus quà verberat Amphitrite.
Non animus, non vis animo, non tempora deſunt.
Longæuo prolata ſeni, cui plurima Clotho
Torquet honoratas rediuiuo pollice luces.
Viue igitur, Princeps, Neleia vincere ſecla
Natus, & Imperij fines fœlicibus auſis
Profer ad inuictas Epiri & Chaonis vrbes
Vltra Sauromatas, & qua ſe voluit Orontes
Et qua damnatas æterno frigore gentes
Hiſter hyperboreus glacialibus illigat vndis.
O mihi tam longæ maneant ſi tempora vitæ
Spero equidem (ni mens rerum præſaga tuarum
Ceſpitat, humanas non inſcia voluere ſortes
Te duce Idumeas ad Marci limina palmas
Cernere, cum vincti concordi fœdere reges
Ire Palæſtinos iterato remige fines.

Inſti-

Inſtituent : ni fors cauſarum immobilis ordo
Florenti iuueni ſeruet cui lilia vernant
Aurea ; debentur Solymæ cui iure coronæ.
Ipſe quidem malas tenera lanugine nondum
Veſtyt : at patriæ laudis non immemor ille
Concipit illuſtres iuuenili mente triumphos.
Sed mihi non vires tam grandia dicere geſta
Non mentem afflatu Phœbi cortina miniſtrat
Pangere Mæonÿs olim memoranda camænis.
Te nunc MEMME cano vates, & plurima verſu
Digero quæ noſtros maneant ventura nepotes.
Queis modò cinctutis cum patribus ordine princeps
Conſeſſu in medio leges, ac iura reuoluens
Saturni ætatem cudis meliore metallo
Nec pietate minor templis indicis honores,
Nec minor ingenio muſas, & carmina curas.
Ipſe ego ſi qua fluent Pindi iuga nectaris huius
Quod me ſectantem mites per deuia curas
Inſerit ordinibus vatum, cæloq; reponit,
In tua, MEMME, Pater patriæ præconia fundam
Dum decor intactæ perſtabit martius vrbis,
Dum reparans Venetas æſtu redeunte paludes
Adria fluctiuagas cinget pro manibus arces.

AD EVNDEM PRINCIPEM MEMMVM.
Ode Tricolos tetraſtrophos.

VIDES amenis vt vagus Adria
Colludit auris, vtq; ſilentium
Inſtratus vndarum cubili
Obſtreperos poſuit tumultus
Vides vt ignes Vndiq; & vndiq;
Totis relucent veſpere compitis
Lambitq; odoratis Olympum
Flamma vorax ſtimulata lignis.

Audis

Audis vt altis omnia plauſibus
Lætoq; paſsim murmure perſonent
Tonantq; ſub Diuo metalla
Sulphureis animata flammis.
Interminatis hæc tibi honoribus
Vouemus omnes, maxime Principum
O MEMME qui nunc ſolus audis
Illyricæ dominator vndæ.
Quod lecta Patrum te voluit cohors
Non ſorte cæca, non ſine numine
Diuum peractum: addixit ales
Præpetibus veneranda pennis.
Cuſtode rerum te modo, fertiles
Laxare glebas inſtituent agri
Sedesq; firmabit quietas
Pax niueo redimita peplo.
Non iam feroces in ſua vulnera
Bellona ciues inſtruet, aut furor
Qui ſæpe fraterno cruore
Vulnificos tepefecit enſes.
Albana qui nunc littora palmulis
Prædatur hoſtis te duce Theſſalas
Renabit arceis, nec ſubactas
Rurſus aget Pelago biremes.
At nos potenti numine ſoſpites
Dum ſpirat auras Marcus amabiles
Gaudemus inuictos Penates
Thuricremis adolere nimbis.
Votiua quin & munera candidis
Libamus aris; vt tibi candidi
Pluresq; procedant in annos
Cum populo, Patribusq; Soles.

SC. GR.

FINIS.